

gationes de consecratione. dist. 3. & vide infra lib. 3. tit. 21. §. 3.

dinem servent, prout titulo de observatione jejuniorum decretum est, necnon Indulgentias, ob id sibi concessas, eidem notas faciant.

Singulis hebdomadis Eucharistiam renovent.

Ex Granat. tit. de Offic. Redor.

Singulis octo diebus Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum renovent, consecrantes Hostiam eodiem, vel pridie ejus diei confectam; corporalia singulis quindecim diebus lavare curent, quæ, cum ad lavandum dederint, attente respiciant, ne Particula ulla in eis remaneat; Purificatoria itidem singulis quoque octo diebus mudentur. Quoties autem in aliquo horum negligenter egerint, pondo quatuor mulctentur, sumptibus lampadis, coram Domini Corporis Sacramento ardentis, applicandis.

§. X.

Parochorum Cura circa Baptisterium.

Sess. 24. c. 2. de reform. Matrim. & infra tit. de Baptismo §. 5.

Parochi juxta Concilij Tridentini Decretum, antequam ad conferendum Baptismum accedant, diligenter ab his, ad quos spectavit, sciscitentur, quem vel quos elegerint, ut baptizatum de Sacro Fonte suscipiant, & eum, vel eos tantum ad illum suscipiendum admittant, doceantque eos, quam cognationem contraxerint, atque solum eorum nomina in libro describant, quamvis alij, ultra designatos, baptizatum tetigerint.

§. XI.

Parochi Libros habeant, in quibus Baptizatorum, Confirmatorum, Conjugatorum, & Defunctorum nomina scribantur.

AD vitanda incommoda, quæ labente tempore ex rerum oblivione nascuntur, in Sacramentis præsertim iterandis, & Matrimonij ex cognationis ignorantia in gradibus prohibitis contrahendis, mandat hæc Synodus, ut Parochi singuli tres libros habeant, in quorum uno baptizatorum, eorumque parentum, & compatrum, baptizantis quoque nomina describant; in secundi vero libri parte una eos, qui Matrimonium contraxerunt, parentes quoque eorum, & patriam, testes etiam Matrimonio assistentes annotent, ac suo proprio nomine muniant; in altera vero parte defunctorum nomina, cum die, mense, anno, & Ecclesia, in qua sepulti sunt, scribant; in tertio denique libro, eorum qui Sancto Chrismate deliniti sunt, parentum quoque, compatrum, ac confirmantis nomina apponantur; hi porro libri ad formam ab Episcopo præscriptam asserventur, quibus, & in eis scriptis, ac Parochi nomine subscriptis, tam in judicio, quam extra, fides adhibeatur.

§. XII.

Extraneos ne Matrimonio jungant Parochi, nisi de Episcopi licentia.

Nullum extraneum Matrimonio jungant, si prius per diligentem Inquisitionem non constet, cum nullo legitimo teneri impedimento, ac præterea ab Episcopo contrahendi facultatem in scriptis

ab. r. a. 22. 186
antist. 186. 187
188. 189. 190. 191
192. 193. 194. 195
196. 197. 198. 199
200. 201. 202. 203

Idu. Janu. 186
Ex Conc. Trid.
Sess. 24. c. 2. de
reform. Matrim.
& Mex. 1. c. 32.
& Milan. 1. tit.
que pertinent ad
Baptismi admini-
strationem. verbo
Parochus.

Ex Conc. Trid.
Sess. 24. c. 1. de
reform. Matrim.
& Milan. 1. p.
2. tit. que ad Sa-
cramentum Ma-
trimo. pertinent.
Gran. tit. de Off.
Rectoris n. 24.
Milan. 1. 2. part.
titul. que perti-
nent ad Sacra-
menti Confirma-
tionem. Synod. de
Quirog. cons. 6.
& 8.

Seff. 24. e. 7. de
reform. Matrim.
Vide Supra lib.
1. tit. de Off. lu-
dic. Ordin. §. 23.

habeat, juxta Concilij Tridentini Decretum, sub pœna pondo quatuor ad usum fabricæ, & accusatoris, seu accusatore deficiente, Judicis id judicantis.

§. XIII.
Censuras a Judicibus latis Populo annuntient.

Ex Granat. ubi
supr. in princip.
dijus tituli.

Parochi statim, ac fuerint requisiti, Interdicta, & Censuras, prout sibi fuerint a Judicibus Ecclesiasticis injunctum, annuntient, ac promulgent, sub pœna pondo decem ad usum fabricæ, & piorum operum: si autem Parochialis aliquis cum participantibus excommunicatus, vel anathemate percussus reperiatur, eum Parochi admonent, ut vel se domi contineat, vel e Civitate, aut oppido egrediatur, ne colloquio suo alios contamineat. Quod si horum monito parere noluerit, auxilium implerent Secularium Magistratum, quos hæc Synodus exhortatur, ut in re tam justa Ecclesiæ opem ferant, quo excommunicati hujusmodi citius absolutionis remedium perquirant.

§. XIV.
Parochi Divino Cultui studeant.

Ex Granat. ubi
supra.

Curent diligentem, ne in Ecclesijs quidquam desit, quod ad earum nitorem, & ornatum, ac Divinum Cultum pertineat; si vero ad id re aliqua opus sit, Episcopum certiozem faciant, ut opportune providere possit.

§. XV.
Parochi directorium confessoriorum habeant.

Quo melius in Sacramentorum administratione dirigantur, Parochi omnes directorium confessoriorum habeant.

confessoriorum ab hac Synodo designatum, & approbatum secum habeant, ejusque regulas servent. Qui vero eo caruerit, pro suæ ratione contumacia, utque ad officij privationem plectetur.

DE SOLICITUDINE PRÆSTANDA,
UT PECCATIS REMEDIUM ADHIBEATUR.

§. I.

Parochorum Cura circa delicta publica.

Inter alia Curatorum præcipua munera, unum illud est, ut peccatis publicis, quibus ira Dei in Populum irritatur, remedium afferant, viasque victorum omnium intercludant.

Gran. de Offi.
Reclorin. 9.

§. II.

Quomodo ipsi in hac materia procedendum.

Quam obrem Parochis præcipitur, ut in suis Parochijs diligenter seiscitentur, sint ne malefici homines, sortilegi, venefici, concubinarij, feminae impudicæ, lenæ, publici aleatorum susceptores, diversoria, ubi inhonestæ feminae commorentur, aut alia publica hujusmodi peccata: quibus si aliquos irretitos invenerint, eos benigne moneant, & ad culpæ emendationem hortentur. Quod si minime respicerint, eos suis in libellis describant, & Officialibus denuntient, ut pœnis, & alijs convenientioribus remedijs coerceantur; si vero ex his peccata aliqua adeo publica non sint, contra quæ de jure procedi non possit, imo magis Episcopi hortatu corrigi posse videantur, ea Episcopo clam nota faciant, ut salutare his malis applicet medicamentum.

Gran. de Offi.
Reclorin. 11.

Cant. Arian. 7.
titul. 2. ad Sa-
cramenta, §.
Pœnis Sacramen-
torum.

§. III.

Quid circa itinerantes, muliones, mercatores, &c.

Mexic. 1. c. 71.

Suscitentur itidem in regionibus sibi subditis, an aliqui mercatorum prætextu ab uxoribus separati vagentur, & in adulterio vivant; inquirent quoque inter muliones, rhedarios, & alios hujusmodi vectores, an aliqui hujus generis sint, quos cum repererint, ab adulterio, si in eo sunt, revocati, ad vitam conjugalem compellantur. Quod si aliquos binas exercentes nuptias invenerint, Episcopo nuntient, ut quemadmodum oportet, graviter eos puniat.

§. IV.

Quid circa eleemosinarum Collectores, & Mendicos.

Cron. de Offic. Rectoris n. 14.

Ehis peti ne patiantur, qui extranei sunt, sine Episcopi licentia in scriptis. Id tamen de Religiosis Personis, mendicantium Ordinum superiorum permisso, eleemosinas ad victum Monasteriorum queritantibus ne intelligatur, nec de ægrotis, quorum inopia manifesta est, dammodo schedam ostendant, qua constet, præterita Quadragesima peccata fuisse confessos, aut intra tres dies ea confiteantur. Virum autem, & mulierem simul mendicare non permittant, nisi, se conjuges esse, sufficienti probent testimonio.

DE HIS, QUÆ AD PAROCHOS INDORUM

ATTINENT.

§. I.

Supra taxam publicam nil amplius exigant.

CUPIENS hæc Synodus, ne Ministri Ecclesie Indos exactionibus vexent, neve Indi li-

ti:

tibus, quas ipsi movere solent, Ministros exagitent, statuit, ac præcipit, ut Parochi nihil quidquam stipendij, vel victus, ab Indis petant, neve amplius accipiant, quam quod sibi fuerit constitutum. Quando vero id acceperint, in libro cum die, mense, & anno describant, ipsique ac Procuratores loci, seu oppidi subscribant, ut hujus rei monumentum extet, falsisque testimonijs, & calumnijs aditus intercludatur. Cum autem ad oppidum aliquod visitandum diverterint, ibique ei cibus suppeditetur, ab oppido, ubi resident, victus nomine nihil accipiant, ne cum in duobus locis Missas celebraverint, ab utroque ad victum stipendium petant.

§. II.

Quid Parochis faciendum circa celebrationem Fæstorum.

NON solum ab omni cupiditate, & avaritia, sed juxta Apostoli præceptum, ab omni earum specie Ecclesiasticos Viros abhorreere oportet. Quapropter Seculares, & Regulares Indorum Ministri, Fæsti alicujus celebrandi gratia, loca jurisdictionis suæ ne adeant, nisi infra octavam Fæsti; commemorationis vero omnium fidelium defunctorum celebritatem ultra decimum quintum diem mensis Decembris ne protrahant. Porro a Feria quarta Cinerum usque ad Dominicam primam Quadragesimæ tantum, hominum capita Cinere spargant, locum ad id diligentes, in quem omnes suarum regionum homines commode, hujus rei gratia, convenire possint.

Mex. 1. cap. 59.

Conc. Milan. 5. titul. que ad Sacramentalia, & Sacramenta, &c. Verbo Sacrorum Cinerum.

Xx2

§. III.

§. III. Nihil ipsi Parochianis vendant.

Nihil Indis sibi subditis per se, aut interpositam Personam ad Ecclesiarum ornatum, & Cultus Divini usum vendant. Si vero fecus fecerint, rei venditæ jacturam faciant, & Episcopi arbitrato puniantur.

§. IV. Non ultra duos equos Parochi habeant.

Mexic. 1. c. 59. §. 1.

In suis regionibus duos tantummodo equos habeant, ne, si plures habuerint, Indis onerosi sint, & sumptibus ad alendum equos molesti, nisi pro ratione regionis Episcopus aliter judicaverit, tunc enim de ejus licentia plures, quam duos habere poterunt. Canes ad venandum ne alant, neque cum ab uno oppido in aliud visitandi gratia diverterint, venando perambulent, sed ea gravitate, quæ Patres spirituales in eo officio exercendo decet, incedant.

Ne venationi vacent.

§. V. Vagos, aleatoresque ne domi recipiant.

Mexic. 1. cap. 59. §. 4.

Vagos homines, aleatores, & eos, quorum suspecta fama est, hospitio ne recipiant, hi enim Indis perniciosi sunt, & eis offendiculum parant; sin minus fecerint, graviter usque ad officij privationem plectantur. Hoc tamen Decreto non prohibetur, ne Hospitales sint erga viatores, sine Indorum incommodo iter agentes.

§. VI. Benigne cum Indis Parochi agant.

Limenf. 2. tit. 3. c. 3. ad finem.

Quia Indi timidi sunt, & pusillanimes, oportet Parochos cum eis mansuete, ac benigne agere, nec

nec eos minis deterrere, sic enim fit, ut languescens animo, peccata sua confiteri non audeant, ac saluari pœnitentiæ remedio destituantur.

§. VII.

Non per se, sed per Fiscales delinquentes puniant.

QUAM obrem præcipit hæc Synodus, ne Parochi per se in Indos animadvertant, sed per Fiscales, & Justitiæ Ministros ad id deputatos, in quibus corrigendis modus adhibeatur, nec correctionis forma, ab Episcopo præscripta, excedatur.

Mex. 1. c. 60. §. 1. & Guadix tit. 5. conf. 1. & Limen. 3. ad. 4. cap. 3.

§. VIII.

Ægrotos pro Sacramentis recipiendis ne ad Ecclesias deferri sinant.

Indos, cum periculo mortis ægrotantes, peccata confitendi, & Eucharistiam sumendi causa ad Ecclesias, seu Monasteria deferri nullatenus permittant, ut est titulo de Sacra Unctione sancitum.

Supra lib. 2. tit. 6.

§. IX.

Parochi domum Parochialem incolant.

QUO facilius, ac promptius subditis in tribulatione positis Parochi succurrant, & subditi ad ea, de quibus opus habent Parochos invenient, ij prope Ecclesias commorentur. Si vero domus habitationis Parochi intra Ecclesiam contineatur, ad cultum domus pro honestate, & reverentia loci mulieres ne adhibeant, eademque de causa, nec confessiones domi audiant, nec matrimonia discutiant, sed tantum in Ecclesia, sub pœna pondo sex quoties contrafecerint, accusatori, & sumptibus Justitiæ di-

Mex. 1. c. 59. §. 2. & Mex. 2. c. 6. & Synodal de Quir. conf. 39. ad fin. & Milan. 3. tit. de Parochis verb. si quis Parochus.

Yy

ftri-

tribuendorum. Cum vero alicujus rei gratia, quæ ad officium pertineat, Indorum domos intraverint, eos sibi comites adjungant, a quibus omnis prævæ suspicionis occasio omnino aliena sit.

§. X.

Parochi quotidie Missam celebrent.

Devotionem subditorum augere strenue procurant, diebus quoque singulis, quibus Missam audire præceptum non est, eam mane celebrent, & campanæ sono Indi vocentur eo tempore, quo sine impedimento negotiorum, aut operarum Missam audire possint. In diebus vero, in quibus ex præcepto Missa audienda est, si subditi longe absunt, a loco, ubi celebratur, eamque in viciniore Ecclesia audire possunt, ne prohibeantur, in aliena Parochia Sacram audire in oppido, eis ab Episcopo designato.

§. XI.

Parochi Indos carcere detentos visitent, pro iisque apud Judices intercedant.

Indos carcere inclusos singula quaque hebdomada semel visitent, eosque in tribulatione afflictos consolentur, & impeditos quominus Doctrinæ Christianæ documenta audire possint, paterno zelo eadem doceant, Judicesque adeant, eosque pro causæ expeditione, & libertate detentorum hujusmodi deprecantur.

§. XII.

Oppida suæ jurisdictionis saltem bis in anno Parochi visitent.

Experientia comprobatur, eam esse Indorum naturam, ut facile, quæ docti sunt, obliviscantur,

*Mex. 2. cap. 8.
& 9.*

*Mex. 1. cap. 68.
Synod. de Quir.
consil. 47.*

tur, si eis instruendis assidua diligentia non abhibeatur. Ideo Parochis præcipitur, ut bis saltem in anno Parochias, & districtus suos visitent, quo Christianam Doctrinam Indos doceant, & quos Doctrinæ Christianæ ignaros repererint, annotent, & scribant, eosque ad capescendam juvent. Quod ut præstent, Indos aliquos bene instructos, quorum fides spectata sit, adhibeant, ijque coram Beneficiario, cui hæc Cura incumbit, Christianam Doctrinam alios edoceant, & de illa ab eis rationem quærant; idemque faciat Minister, seu Beneficiarius hujusmodi, ne si Sacerdos huic rei operam non navat, eaque Cura solis Indis committitur, contemnatur hoc ministerium.

§. XIII.

Quid hic nomine Parochorum veniat.

NE vero hæc, quæ hoc titulo decreta sunt, difficultate aliqua involuta sint, declarat hæc Synodus, nomine Curatorum Regularium in Indorum oppidis comprehendi Priorem, Guardianum, Vicarium, aut Præfectum Monasteriorum, quibus Indi subditi sunt; in Civitatibus vero, aut oppidis Hispanorum, Religiosam Personam, cui a superioribus administrationis Indorum Cura demandata est. Itemque exponit, in omnibus, quæ præcipiuntur Curatis, per Decreta hujus Synodi comprehendi Curatos Regulares, qui non ex voto charitatis, sed ex officio hoc munus exercere debent, si illud in se suscipiunt. Quo ad pœnas vero designatas aliter non comprehenduntur, quam ut titulo de pœnis expressum est.

Mexic. 1. c. 65.

*La Real Cedula
de Barcelona por
Junio año 1585.*

Infr. lib. 5. tit. 9.